


EMBLEMA LXXXIV.  
IN CRUDELES EXACTORES.



*Pestifert ut pueris venas populetur, acutam  
Caudam, blanditus, mittit in ora Draco  
Mammillam reputans, lentè deluditur infans,  
Et tacitum blandè cernitur ire virus.  
Dulcia Rex, animos demulcens, munera poscat,  
Displicet exactor: grata tributa placent.*

COMMENTARIUS.

**G**loriosis quidem Regibus, quales nostros optamus, gratiosiora debent esse præconia, quam Tributa, ut præclare Cassiodorus (a) admonuit: *Quia stipendium, & Tyrannis impenditur, laudis autem prædicatio, non nisi bonis Principibus indiget.* Unde non solum in illis imponendis, & moderandis, ea circumspèctione, & temperatione uti debent, quam in superioribus insinuavimus, verum & in omnino necessariis, & justè indictis, à subditis exigendis, qua majori possint cura, & studio procedere.

2 Certum quippè est, tributa alioqui per se gravia, Exactorum pluralitate, & immanitate graviora reddi, miseramque plebem exinanire, & sæpè ad desperationem inducere, ac proinde fortè in Sacra lingua Tributum *Mas* appellatur, à verbo *Mabas*, quod, ut docent, qui eam callent, liquefactum quem esse designant. Exugit enim tributum, & liquefacit tributarios, & non solum pellem, verum & sanguinem extrahit, ut *S. Alreus* (b) præsensit, explicans illud *Isaia*: *Tunc Luna convertetur in sanguinem, sic inquit: Tunc Luna convertetur in sanguinem, quando manus Principum plenæ fuerint exactioibus, & vectigalibus, populo quasi præda abutentes.*

3 Cui adstipulatur illud *Michæ* (c): *Malum manuum suarum dicunt bonum: Princeps postulat, & Judex in reddendo est, & Magnus loquutus est desiderium animæ suæ, & conturbaverunt eam.* Et apertius, insigne dictum, ac miraculum *B. Francisci de Paula*, novi, parentum nostrorum memoria, *Thaumaturgi*, quod vitæ ejus Auctores (d) recensent. Is enim, cum *Neapolim* veniens honorificè à *Ludovico XI. Galliarum Rege* susceptus esset, ab eodem rogatus fuit, ut permitteret construi in civitate sua *Monasterium Ordinis sui*. Cui respondit *Sanctus*: *Melius esset, ut pro salute tua restitueres bona aliena, quam tam magnas faceres elemosynas.* Rex verba hæc ægrè & indignè accipiens, dixit: *Et putas ne me possidere aliquid malè quæsitum? Respondit Sanctus, & dixit, quod per alienum intelli-*

(a) Cassiod. lib. 9. epist. 25.  
(b) S. Alreus serm. 10. in *Isai*.

(c) Mich. cap. 7.  
(d) *Chapetus, Goonius, Montoja, & alii.*

gebat, impositiones, & tributa, gravesque tributorum exactiones, quibus populum opprimebat, quod sanguinem ipsius sugebat, qui clamabant, & postulabant vindictam à Domino. Et cum jussisset sibi afferri aureum numum, illumque fregisset, statim ex eo multæ guttæ sanguinis processerunt. Rex tam celebre miraculum videns, emendationem promissit.

4 Accedit his Docti pariter, ac Religiosi *Patris Martini Delrii* (e) subnotatio, qui in Sacra Pagina Tyrannos aptè *Massoretas*, id est *Emunctores* vocari docet, qui plus æquo mulgendo, & emungendo, etiam sanguinem subditorum eliciunt: veræ hirudines, cutem non missuræ, ut alibi inquit *Florantius* (f) donec sanguine repleantur; unde & hæc *Sanguisuga*, dici, vulgè *Plinio* (g) testante cœperunt; & homines nimis cupidus denotare, ut *Saa* (h) noster scriptum reliquit, sic exponens, quod de *Sanguisugis filiabus* in *Proverbiis Salomon* tradit, & inquit: *Sanguisugæ sunt duæ filie, quæ semper clamant, da, da, præbe, præbe, affer, affer, nec unquam, etsi multa dederis, exsatiantur.*

5 Cujus Tyrannicæ inexplebilisque aviditatis, seu profundi maris, quod ingestas opes absorbeat, nullam meliorem descriptionem reperiri posse arbitror, ea, quam *Latinus Pacatus* (i) *Maximi Tyranni* hac in parte crudelitatem recensens, his elegantissimis verbis designat, *Spes inter hæc nulla prædonis explendi, nec enim, ut natura fert, copiam sacietas sequebatur: crescebat in dies habendi fames, & parandi rabiem, parta iritabant. Ut agrorum sitim potus accendit, ut ignis arenibus non obruitur, sed augetur: ita coactæ publicæ egestate divitiæ, aviditatem jejuna mentis acuebant. Stabat ipse purpuratus ad læces, & momenta ponderum nutusque trutinarum pallens, atque inhians exigebat. Comportabantur interim spolia provinciarum, excuvie exulum, bona peremptorium. Hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ, isthic dominorum cruore perfusum appendebatur argentum. Numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi: curvis ut inventis, non Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur, &c. & nullas horum reliquias, nulla fragmenta, vel sero victa fastidio, illa communis vorago redimebat.*

6 Eamdem quoque, quam Nos curam, lata, & eleganti oratione suadere intendit. *D. Gregor. Nazianzenus* (k), in cujus notis benè, & valdè ad rem, *Elias Cretensis* sic habet: *Tributa satis per se gravia, ne per avaritiam, & duritiam nostram graviora reddamus: neque meroris pœnam ob infractum Dei præceptum nobis constitutum augeamus; vitam scilicet hominum, qui nobis genere, & natura sociati sunt, insatiabili nostra cupiditate calamitosam reddentes.*

7 *Cassiodorus* (l) etiam, sub nomine *Theodorici Regis*, abusus, qui circa exactiones publicas in Hispania nostra fiebant, singillatim refert, summumque inter mortales crimen esse agnoscit, *Vitas hominum vaga præsumptione populari, & levium occasione causarum, subire multos interitum, sicque mala pace, quasi ludo corruiere, quanti vix potuissent cadere sub necessitate bellorum. Genusque exidentis esse prædæ, pro illius voluntate dare, qui ad suum commodum amplius festinat exigere. Nihilque tam nefarium, quam præsumptoribus licere, in ipsa etiam trutinæ qualitate peccare, ut quod est justitiæ propriè datum, hoc per fraudes noscatur esse corruptum. Et rursus (m), Universos Provinciales Judices monens, ut tributarios ab exactorum venalitate, & injuriis securos efficiant, sic habet: *In honorem est enim omne quod cogitur: nec offerentis habet gratiam, qui damnis suis perducitur ad tributum. Ille solus ager deletabilis est domino, in quo supervenire non timetur exactor. Absit à nostris temporibus detestabilis, & fugienda verusitia. Possessor nihil aliud, nisi quod publico debetur exsolvat. Semper metuat injusta præsumptio. Quid enim acquiri putatur, ubi bona conscientia perditur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse? Majus commodum non queratis, quam si nihil venditis. Illa tantum sequenda sunt lucra, que potest letus possessor offerre, & miles solemniter securus accipere. Et denique aliis in locis (n), non minori prudentia, scriptum reliquit: *Tributa non debere à tristibus exigi, per quos, Tributarios, ipsi Principes acquisierunt, & sine querela suscipi debere onus impositum, quod longis temporibus constat esse portandum. Illumque verè censum Principum esse, quem letus gratoque animo possessor exsolvit. Quod sumere potuit ex *Pindaro* (o), qui pariter: *Illud lucrum gratissimum dixit, si quis ex volentibus edibus ferat.****

8 Ad quam item Doctrinam indicandam, & suadendam, nostrum hoc Nos Emblemata dirigimus, pupum, ut vides, sive infantulum depingentes, quem simul serpens ambit, & lambit, & dum ejus emungit sanguinem, caudam sugendam ipsius ori admovet, ut *Plinius*, & alii (p) testantur. Sic virus pro viribus temperans, & crudeles morsus leniores efficiens. Ac velut Principes admonens, ut ubi tributis parcere nequeant, sic saltem subditorum substantiam exugant, ut, quibus fieri modis possit, minus illis incommodent, ac mutatis ab *Ovidio* (q) verbis precantes exaudiant,  
*Quod petimus pœna est, nec enim miser esse recuso;  
Sed precor ut possim tuior esse miser.*

(e) Delr. in *Adag. sac.* 1. tom. *Adag.* 718. pag. 310.  
(f) Horat. in *Arte Poetica*.  
(g) Plin. lib. 8. cap. 10.  
(h) *Saa* in *Proverb.* 30. 15.  
(i) Pacat. in *Paneg. ad Theodos.*  
(k) *Nazianz. orat.* 9.

(l) Cassiod. lib. 5. epist. 39.  
(m) Item lib. 11. epist. 7.  
(n) Idem lib. 4. epist. 36. & lib. 1. epist. 15. & 16.  
(o) *Pind.* in *Pythiis hymno*.  
(p) Plin. & alii apud *Gonerum* lib. 5. de *Angue*.  
(q) *Ovid.* 5. *Trist. eleg.* 3.

Ttt  
Nam

Nam ut Chilensis Episcopus (r), eodem simili usus, scribit: Infelices ii admodum sunt, quibus negatur, mori dulciter, & perire suaviter.

9 Quod sanè tunc demum consequi poterunt, cum sedulo curaverint, & nullum non lapidem moverint, ut in eisdem tributis exigendis omnes excessus fraudesque reprimantur, vexationes, & concussioniones vitentur, & reliqua damna caveantur, quæ durius gravinsque, quam ipsa tributa vassallos exulcerant, & depauperant, & sæpe ad fugiendum, vel rebellandum inducunt; ut jam olim agnovit M. Tullius (s) sic ad Atticum amicum scribens: Provincie in perpetuum redduntur deserta, miseri homines, & efferati, ne dicam desperati, exhaustis facultatibus per nimias exactiones.

10 Certum est quippe, & plurimis locis divinarum, & humanarum literarum, quæ alibi (t) congesti, testatum, nihil Exactorum, ac Publicanorum crudelitibus durius, fraudibus, & concussionibus impudentius, reperiri solere, qui, ut quidam ex nostris bene considerat (u), simul ac huic se ministerio præpositos vident, prædæ se præponi arbitrantur. Unde gravis illa Domini apud Isaiam (x) querela, Populum meum exactores sui spoliaverunt, quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.

11 Ex nobilis justa ac pia Imperatoris Constantini Pragmatica sanctio (y), qua necesse habuit, eorumdem vexationes compescere, quoniam pro tributis exigendis, non solum carcere, sed plumbatis etiam verberibus, ac ponderibus utebantur, aliisque suppliciis, quæ ab insolentia hujusmodi iratorum perversorum, & raptorum hominum procedebant: statuens, ut deinceps, qui solutionem indictorum Canonum detrectarent, libera tantum custodia detineri, & in bonis exigi possent, signanterque hæc verba subjungens: Qua facultate præbita, omnes fore credimus proniores ad solvenda ea, quæ ad nostri usum exercitus, pro communi salute poscantur.

12 Divus etiam Augustinus (z), suo tempore has crudelitates durare, & veluti legibus permitti sic docet, & dolet: Publicanorum autem studia & exercitatio, impudentiæ, ac crudelitatis plena sunt: questus nota illicitalis, turpis quedam mercatura, imò rapina lege seculari concessa. Indeque eorum Telonia, sive Aduanas, Portas Mortis, dici posse Pontanus noster (a) scripsit: Porque alli perece la vida del pasagero, con las molestias que recibe, i el alma del Aduanero con las injusticias que hace. Et D. Chrysostomus (b), in eisdem insolentias respiciens, & in excessivum juxta, ac nocivum horum hominum numerum, qui his exactionibus præpositi erant, ab eisdem orbem teneri sic dixit: Decumani & Portitores Orbem tenent.

13 Quod nostris (heu) temporibus Hispania nostra satis indoluit, dum constitit sexaginta mille, & plures homines in tributorum exactionibus occupari, eorumque manibus spoliari, & strangulari se sensit, & à Piissimo Rege nostro tanti mali remedium expostulavit. Cum Salviano (c) identidem ingemiscentis: Republicanam, vel jam mortuam, vel certè extremum agere spiritum, ea parte, quæ adhuc vivere videbatur, sub his tributorum vinculis, & deprædatoribus mori, ab eisdemque pauperes enecari. Quid enim possunt aliud velle miseri, qui assiduum, imò continuum exactionum patiuntur excidium, domos suas deserunt, ne in ipsis torqueantur; exilia petunt, ne supplicia sustineant, ad hostes fugiant, ut vim exactionis evadant. Et cum Petro Ravenate (d): Ministerialium siquidem tanta est multitudo, quanta est locustarum, ut istis recedentibus, alii succedant, quod ex parte fuerit devoratum, alii devorent exitialiter, & consumant, &c.

14 Et has extorsiones locum fecisse Adagio Tributis potiora, Erasmus (e), post Suidam, & Zenodotum scribit, inde natum opinans, Quòd, qui Principum nomine tributum exigunt, ferè plus extorquent, quam par est: & Principes sic petunt, ut ab incitis rapiant, ni dent, quod petitur. Parum animadvertentes, quanto latiora & latiora compendia consequi possent, si eadem à latis, & lætis (ut diximus) vassalis exposcerent, ut Cassiodorus (f) elegantissimè dixit, Tyberini urbis Romæ Portitoris Formulam tradens, eumque, qualiter se cum mercatoribus illuc adventantibus habere deberet, his verbis erudiens: Eximia ergo res tibi committitur, si moderatè peragatur. Tu copiam facies, dum ingredientibus justè tractaveris. Avara manus portum claudit, meritò enim illa mercatores cuncti refugium, quæ sibi dispendiosa esse cognoscunt. Quapropter adversus ibi ventus est, immoderata præsumptio; nam placidum mare damnat, qui undas cupiditatis exaggerat. Unusquisque pro solemnitate commonitus, offerat voluntarium munus, xenia sunt enim ista, non debita. A paucis accipit, qui nimium querit, & sibi ipsi mittit vitæ munera, qui moderatur oblata.

15 Et rursus (g), siliquatici præstationem indulgens, & hanc exactorum duritiem exhorrens, qui etiam à naufragis illam extorquere non desinunt: Portus (inquiens) nostros navis veniens non parcescat, ut

(r) Chilens. Episcop. D. Gasp. Villarrol in lib. Judic. cap. 28. vers. 29. pag. 628.  
(s) Cicer. lib. 5. ad Attic. ep. 16.  
(t) Ego 2. rom. lib. 1. cap. 2. ex num. 48. & lib. 5. cap. unico, Exod. 12. Job. 3. & 39. Isai. 3. & Luc. 12.  
(u) Brav. de Reg. Vat. lib. 3. fol. 35.  
(x) Isai. 3. 12. & 15.  
(y) L. nemo. C. de exact. trib. ubi alia tradit noster Amaja, & Egid. cap. 20. ex num. 63.

(z) D. August. serm. 50. de tempore.  
(a) Puente in Monarc. Hispal. lib. 2. cap. 29. pag. 291.  
(b) D. Chrysost. hom. 31. in Matth.  
(c) Salvian. de provid. Dei. lib. 4. & 5.  
(d) Raven. in quadam epistola.  
(e) Brasm. in hoc Adag. pag. 457.  
(f) Cassiod. lib. 7. form. 9.  
(g) Idem lib. 4. epist. 7. & 19.

ut certum nautis pssit esse refugium, si manus non inciurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quam solet nudare naufragia. Quia crudelitatis genus est, ultra naufragium velle desævire, & illos ad dispendia cogere, quibus probantur inopem vitam immania pericula cessisse. Et in alia epistola (b) sub Theodorici Regi nomine jubens, ut illicitæ quædam exactiones cessarent, quæ in Apulia, & Calabria contra negotiatorum publicos fieri attentabantur, sic habet: Nullius compendii delectantur injustis: nec ad animum nostrum pietatis perveniunt, quæ probitatis gratia deseruntur. Respublica siquidem jure semper æquitatis augetur: cum temperantia diligitur, velociter profutura succedunt. Quapropter beneficia nostra erga negotiatos, qui nostris titulis necessarij comprobantur, facite custodiri, ne genus hominum, quod vivit lucris, ad rem possit pervenire dispendiis.

16 Quæ loc. Ego sæpe in supremo Indiarum Senatu, dum ibi Consiliarii munere fungerer, pro suadendis levioribus à negotiantibus Indiciis exactionibus, allegavi, non dubitans hoc pacto longè majus incrementum nisi viribus annis singulis accessurum; Indicosque hos pisces, ut ille Evangelicus (i) apud Mathæum staterem in ore allaturos, mercesque omnes, aurum, argentum, & facultates suas, absque ullo dolo ac fraude in actis, sive regestis publicis professuros, quas quia se eviscerari sentiunt, abscondunt, & spè (quod magis dolendum est) ad Nationes hosticas transferunt.

17 Et posset quidem plura de violentiis, & insolentiis Exactorum, & Publicanorum referre, nisi jam eos, easque ivis coloribus depinxisset D. Chrysostom. (k) & Laurentius (l) Mediolanensis Episcopus, quorum verba, post Juretum, & Bullengerum (m), Amaya noster (n) recenset, & novissimè D. Joannes Franciscus Ramos del Manzano (o), Regii Fiscij in Senatu Mediolanensi Patronus dignissimus, & Paterni eruditionis imitator acerrimus. Tacitus (p) quoque de Neronis temporibus loquens, satis illas exprest, dum dixit: Temperandas planè Publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerate, novi acerbitatibus ad invidiam verterent.

18 Et Joanes Barclajus (q), postquam plura de Tributis, & Portoriis disseruit, & qualiter eorum Redemptores vitri, & pauperes ab eorumdem exactione liberari deberent, tandem prudentissimè consulit: Ne imi quutores exigendis à populo tributis præficiantur, neve ipsi privatorum limina circumstant, nec missis licitoribus pignora capiant, & oppidanos divexent; sed ipsorum concivium hoc munus sit, qui ex suo corpore eligat, per quos ea pecunia cogatur, & sic humanius exacta, per singula oppida ad Prætorum suam, vel in Regium ararium feratur.

19 Certum est enim, & rectè à Justo Lipsio (r), Amaya (s), & Episcopo Chilensi (t) notatum, hoc munus quondam impud Romanos (u) valdè nobile fuisse, nec nisi nobilibus, probis, ac probatis hominibus dari solitum. Quod quia sine delectu in infimæ conditionis homines postea prætransiit, non solum minus nobile, sed & invisum & exosum omnibus factum fuit, cum omnis Reipublicæ succus, qui ferè totus in tributa convertitur, per iniquas ipsorum exactiones, & deprædationes radicitus succidatur.

20 Quas etiam referunt, & summo studio optimi quique Imperatores, & gloriosi pariter, ac Catholici Hispaniæ nostræ Reges, plurimis in id legibus latis (x), compesci curarunt, & Politici omnes, & Juridici Auctores (y) singulis propè paginis execrantur, benevolentiam Darii, Cyri, Alexandri Magni, Tiberij, Perclis, & aliorum Principum ob hanc curam eximie laudantes, & ex adverso diviniæ Manuelis Comnai, Basilisci, & aliorum punitionem referentes, qui per se, vel per suos in gravandis, vexandis, & delubendis subditis excesserunt, illos, ut suos, ut expilent, habentes, & tamquam alienos, ut perdant existimantes, ut scitè Othonem Imperatorem de æmulo suo dixisse, Tacitus (z) memorat: Et subditos nos habuit tanquam suos, & viles tanquam alienos.

21 Neque aim interdum sufficit, quòd Rex revera, & ad justam causam, tributis indigeat, nisi & subditi in ea parte & statu se habeant, ut ad illa exsolvenda sufficiant. Quod Andronicos Temistocli respondisse, Herodotus (a) & Plutarchus (b) scribunt. Nam cum hic ab eis ingentem auri quantitatem exposceret, liceretque ad eam exigendam, duos deos secum afferre, nempe suasionem, & violentiam. Respondunt, se quoque duos summos Deos in sui favorem habere, qui illos defenderent, nimirum summam aupertatem, & summam ei obtemperandi impossibilitatem.

22 Et de Tyzo tyranno narrat Ælianus (c), quòd cum suos, variis oneribus prægravatos, nec loqui, nec muti permitteret, tandem in lachrymas proruperunt, quas etiam cum cohibere tentaret, & occu-

(b) Idem lib. 2. epist. 26.  
(i) Matth. 17. 5.  
(k) D. Chrysos. de pan.  
(l) Achab, S. Laurent. apud Juret. in Symb. lib. 5. epist. 62.  
(m) Amaja in d. nemo, num. 7.  
(n) Bulleng. in 9. de Imp. cap. 3. pag. 963.  
(o) D. Franc. hmos in noviss. analict. ad l. deprecatio, ex pag. 31.  
(p) Tacit. 13. Annal. ad finem.  
(q) Barclaj. in leg. lib. 3.  
(r) Lips. in notad Tacit. 1. Ann. lit. K.  
(s) Amaja in Rör. de exact. trib. num. fin.

(t) Villarr. in Judic. pag. 488. ubi Me allegat.  
(u) L. omnes, C. de ann. & tribut. l. 1. & seqq. C. de exact. tribut. l. 1. C. de discuss. Novel. Majorian. tit. 4. de indulg. reliq. Tiberij 161. de præsid. provinc.  
(x) L. 5. & seqq. tit. 14. lib. 6. Recop.  
(y) Petr. Gregor. de Repub. lib. 3. cap. 9. Contz. lib. 8. cap. 7. num. 4. & alii apud Me d. lib. 1. cap. 20. per tot. & cap. 18. ex num. 59. Bobad. d. lib. 5. cap. 5. ex num.  
(z) Tacit. 1. histor.  
(a) Herod. lib. 8.  
(b) Plutarc. in vita Themist. Ego d. cap. 20. num. 52.  
(c) Ælian. lib. 14. cap. 22.

oculis à natura tributam libertatem eripere, tandem ab eisdem, ex lachrymis in iram accensis, dis-  
cerptus fuit. Miseris enim, ut bene dixit Ovidius (d),

Est quædam flere voluptas,  
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

23 Cui consonans Latinus Pacatus (e), & similem crudelitatem Maximi, alterius Tyranni, recen-  
sens, sic ait: Serenos ergo nabilis mentibus cultus induebanus, & ad illorum vices, qui degustato Sârdo-  
rum graninum succo, feruntur in morte ridere, imitabamur lata merentes. Est aliquod calamitatum deli-  
nimentum, dedisse lachrymas malis, & pectus laxasse suspiriis, & nulla major est pœna, quam esse mi-  
serum, nec videri, &c.

24 Quamvis Dionysius Senior, magis risum, quam lachrymas populi timuisse hac in parte vi-  
deatur. De eo quippè narrat Plutarchus (f), à Syracusanis pecunias exegisse: deinde cum videret il-  
los lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere quod darent, indixisse alteram exactionem, idque  
iterum, ac tertio fecisse. At postquam majorem summam imperasset, audivit illos in foro ambulantes  
ridere, & scommata in Regem jacere, jussit præfectos ab exigendo quiescere. Jam enim, inquam,  
nihil habent, cum nos contemnant.

25 Caveant igitur Principes, ne dum nimium emungunt fortiter, sanguinem eliciant, ut scito He-  
bræorum circumfertur adagio (g), & vel monente Seneca (h) discant, ægram vitam non substinere,  
cum liceat innoxium, atque ob hoc securum, salutare potentia jus, lætis omnibus, tractare. Errat  
enim, siquis existimat tutum esse ibi Regem, ubi nihil à Rege tutum est. Securitas securitate mutua pacis-  
cenda est. Et recta imperandi disciplina est, ut Cassiodorus (i) ait: Amare quod multis expedit. Quo-  
niam Respublica multum soliditatis accipit, si Tributariorum facultas illæssa constiterit; que dum justo re-  
deunte censu reficitur, status sui firmissimo robore continetur.

26 Unde signanter Erasmus (k) inter varias illius Adagii expositiones, quod Dimidium plus toto  
esse docet, in Reges quoque applicari posse tradit, qui si justè & prudenter regnare desiderant, scri-  
re debent, dimidium totius sibi satis esse, totum autem auferre Tyrannicum. In hujus sententiæ com-  
probationem elegantia quædam Hesiodi (l) carmina referens, & Darii apud Plutarchum historiam, qui  
cum Præfectos provinciarum ad se accersitos, percunctatus esset num gravia essent tributa? Atque  
illi respondissent, esse mediocria: jussit de singulis dimidium pendi; judicans esse satius, dimidium  
accipere cum benevolentia provincialium, quam totum cum odio suorum. Quod valde etiam commenda-  
t Claudius Sesselius (m), omninò legendus, & multis bellorum, seditionum, defectionumque casibus  
relatis, qui hoc ex fonte derivati fluxerunt, & magnas clades in varia Regna, & populos iaduxerunt,  
Beyerlinchius (n), & alii. Quibus adjici possunt ea, quæ contra immoderata, & inusitata tributa im-  
ponentes, & exigentes, sive exsugentes in superioribus diximus, & illud Virgillii (o),

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Ex quo, hoc relatu quidem dignum Emblema, in eandem rem, de qua agimus, noster D. Sebastia-  
nus Covarrubias (p) deduxit:

Goza el Pastor la lana, leche, i queso Suela á veces perderse en el exceso  
De la ovejuela mansa, i aunque cria Quien pudo conservarse en mediania:  
Su tierno corderito, no por eso Dexe á la madre el jugo, al hijo leche,  
La dexa de ordeñar lo que solia: Si quiere que el esquilmo le aproveche.


Qui enim nimium emungunt, vel emulgent, sanguinem eliciunt, ut jam etiam supra tetigi, & in He-  
bræorum proverbii habetur, & in Hispano, Ordenar basta el Tabefe (q); id est, usque ad sanguinis,  
lactis loco, ex ovibus extractionem. Sub quo nomine tempore D. Fernandi V. Regis Catholici, Pas-  
toriciæ quædam nœniæ, similia tributa dolentes, ac deplorantes, editæ fuerunt, vulgò dictæ Las Co-  
plas del Tabefe, quæ licet paucis innotuerint, possunt quidem cum illis, quæ vulgò circumferuntur, &  
de Mingo Revulgo appellantur, non immeritò decertare. Fuit enim Tributum res omni seculo deplora-  
ta, nec tam populi illorum communes causas, quam propria damna attendere solent. Quod efficere de-  
bet, ut Principes vigilantius curare debeant, ne fiat vexatio, cui est imposita contributio, ut piè pari-  
ter, ac prudenter Chilensis Episcopus (r) monet, inter alia illud Christi Domini expendens, qui pro se,  
& suis tributum Casari soluturus non ex ventre, sed ex ore piscis staterem deitahi jussit (s).

(d) Ovid. 4. Trist.  
(e) Pacat. in Panegy. ad Theodor.  
(f) Plutarc. in Apophth.  
(g) Erasm. in Adag. pag. 510.  
(h) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 19.  
(i) Cassiod. lib. 9. epist. 9. & lib. 12. epist. 16.  
(k) Erasm. pag. 509.  
(l) Hesiod. in oper. lib. 1.

(m) Claudian. Sessel. de Gall. rep. lib. 1.  
(n) Theat. verb. Tributum, pag. 213.  
(o) Virgil. Egiog. 3.  
(p) D. Sebast. Covarr. cent. 1. Embl. 14.  
(q) Erasm. in Adag. pag. 510.  
(r) Chilens. Episc. in judic. pag. 620.  
(s) Matth. 17. 26.

EM-

EMBLEMA LXXXV.  
REGUM VERUS THESAURUS.



Dum vectigali parcit Constantius auro,  
Vacabat imposita dote Regia.  
Ille tamen multis humilem exprobrantibus Aulam,  
Opes videre præcepit clientium.  
Scilicet in tumida Populi est securus arca  
Pii reposita sæpè Gaza Principis.  
Non inopum dives Sapiens vult esse; sed optat  
Ægenus urbis Rector esse divitis.

COMMENTARIUS.

1 Tsi ex supra dictis satis liquere possit, quid de Regum, ac Principum munere circa  
imperanda, & exigenda tributa, & vectigalia censeamus. Adhuc eosdem monitos  
volumus, tunc se majori divitiarum cumulo potituros, cum minus ex suis à vassal-  
lis emunxerint, & intelligere cœperint, nullum esse arctius firmandi, & augendi  
Principatus vinculum, quam Amor subditorum, Regiæque dignitati non expedire,  
imperium in mendicis exercere, sed in opulentos potius, atque felices.

2 Quod ipsum sensisse magni & erecti animi viros M. Curium, & Quintus Fabricium, Valerius  
Maximus (a), & alii Historici (b) produnt, dum devictis Samnitibus, eorumque pedibus magnum  
auri pondus suppliciter obvolventibus, nihil inde auferre volentes, hilariter, & liberaliter responde-  
runt:

(a) Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. §. 4. & 5. Ius lib. 1. esp. 14.  
(b) Cicero. in Caton. Athen. lib. 1. Plutarc. in Apoph. Gel-

runt: Malle se imperare divitibus, quam divites esse; seque ipsos locupletes facere, non multa possidere, sed pauca desiderare. Ad quod respiciens Guntherus (c), suum Fridericum Primum ita commendat:

Non turget loculis inserta pecunia nostris:  
Nec multis opibus, sed laude venimus onusti:  
Non est Theutonico cumulata pecunia cordi,  
Nec sibi querit opes; sed pulchræ laudis honores  
Non habet ille suam, sed habentibus imperat, aurum.

3 Ex quorum exemplo Thomas Morus (d) æquè piè, ac prudenter in sua Utopia consulit, Regum non modò honorem, sed securitatem quoque, & opulentiam, in populi magis opibus sitam esse, quam suis; consiliaque contraria omnia, Regibus, & inhonesta esse, & perniciosa. Cum profectò unum alique voluptate, ac deliciis fluere, gementibus undique, ac lamentantibus aliis, hoc non sit Regni, sed carceris esse custodem.

4 Et Nos etiam, eidem hærentes Doctrinæ, pariter profitemur, quòd etsi in Regibus damari non possit, justis, ac permissis modis, ac mediis, patrimonialia sua, & Fiscales redditus adaugere, & Thesaurus pro virili congerere, unde & expeditionibus bellicis, & aliis Regni necessitatibus, & utilitatibus consulat, in quo, post D. Thomam (e), omnes ferè Theologi, & Politici Auctores consilium, quos latè Petrus Gregorius (f), Bobadilla (g), Marquez, Antonius Perez (h), Mauclerus (i), & alii recensent, quorum Ego alibi (k) plenè commemini, quibus nunc novissimum nostrum Saavedra (l) adjicio.

5 Adhuc tamen gnaros eosdem Reges esse oportere, veras ipsorum divitias, certosque & securos thesauros, in subditorum levamine, & hilaritate consistere, illisque benè se habentibus, & divitiis existentibus, Reges, Regiumque Fiscum, omnes eorum opes promptas & cumulatas habere: expilatis autem, vel spoliatis, quasi succisis quarumdam virium nervis, reliqua labi, ut multorum jurium auctoritate docemur; & præcipuè in illa Justiniani Novella (m), qua *Abundare Fiscum scripsit, ubi vassallis locupletibus utitur.*

6 In quæ respicit celebre illud axioma Baldi (n), dum dixit: *Nam Thesaurus Principum non est Fiscus, sed subditi benè se habentes.* Quod prius Alphonsus Rex noster (o), Aristotelis, & Justiniani vestigia premens, his exulit verbis: *El mejor tesoro que el Rei ha, è el que mas tarde se pierde es el pueblo, quando bien es guardado, è entonces son el Reino, i la Cámara del Emperador, i del Rei, ricos, i abundados, quando sus vasallos son ricos, i su tierra abundada.*

7 Unde laudatum, & illud, quod quidam longimano Artaxerxi, Ælianus (p) autem Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi consignat: *Magis Regium esse addere, quam auferre, & ditare, quam ditescere.* Et præclarum Isocratis (q) monitum ad Nicoclem, dum dixit: *Argumentum tibi sit Imperii rectè honestèque administrati, cum videris eos, quibus præest, sua diligentia curaque, locupletiores, & ditiores factos; nam pecus pingue pastori prodest, ut pluribus Admiratus (r) illustrat.*

8 Quibus etiam adridens Constantius Chlorus, Magni Constantini Pater, ut ab Eutropio (s), & aliis (t) refertur, utilitati, ac commodis provincialium, & privatorum semper studuit, ac sicut quondam Cyrus dixit, se thesauros sibi parare, dum amicos divites redderet; ita ille semper habuit in ore: *Melius esse opes publicas à privatis haberi, quam intra unum ararium otiosè, & absque ullo reddito possideri.* Quod apophthegma, licet numquam sibi probari potuisse, Rithershusius (u) scribat, benè tamen intellectum, satis probabile, & laudabile est. Et cum eo consonat aliud Alphonsi Regis Neapolitani apud Antonium Panormitanum (x), qui factis, & verbis ostendere, & dicere solitus erat: *Regum in primis officium, & studium esse, populos suos locupletes efficere; Popularibus enim ditioribus factis, nec utique Reges futuros pauperes.*

9 Eoque (idem sentiens) procedit Thomas Morus (y), ut Macarensium legem fingat, & probet, apud quos Rex, numquam se uno tempore suprâ mille auri pondo in thesauris habere, jurare cogebatur. Addatque, quòd si aliquis Rex, adeò aut contemptus esset, aut invisus suis, ut aliter eos continere in officio non possit, nisi contumeliis, compilatione, & sectione grassetur, eosque redigat ad mendicitatem: præstiterit illi profectò Regno abdicare, quam his retinere artibus, quibus quamquam imperii nomen retineat, certè amittit Majestatem, &c.

Cer-

(c) Gunther. in *Ligur.* lib. 3.  
(d) Morus in *Utopia*, lib. 1. ex pag. 40.  
(e) D. Thom. lib. 2. de *Regim. Princip.*  
(f) Bobad. lib. 2. cap. 12. n. 70. & lib. 5. cap. 5. n. 8.  
(g) Petr. Gregor. de *Repub.* lib. 7. cap. 10. de *gubern.*  
*Christ.* lib. 1. cap. 3.  
(h) Perez in *Laur. Salmant.* pag. 277. & 284.  
(i) Maucl. de *Monarc. Gall.* lib. 2. 3. part. cap. 11.  
(k) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 13. num. 29. & 30.  
(l) Saaved. in *Id. Polit.* ex pag. 522.  
(m) L. 2. C. de *om. agr. desert.* l. cum ratio, §. si verò, de *bon. dam. Auth. ut Judic. sine quibus suffr. §. cogitatio, coll. 2.*

(n) Bald. *cons.* 410. num. 5. lib. 5. & Ego latè 2. tom. lib. 1. cap. 15. num. 53. & seqq.  
(o) L. 14. tit. 5. part. 2.  
(p) Ælian. lib. 13. var. *hist.* cap. 13.  
(q) Isocr. ad *Nicoel.*  
(r) Scip. *Admirat. indic. ad Tacit.* pag. 85.  
(s) Eutrop. lib. 10. cap. 1.  
(t) Pollid. *Virgil. histor. Anglic.* lib. 1. Ribadeneyra, qui alia tradit de *Princip.* *Christ.* lib. 2. cap. 10.  
(u) Rithershus. ad *Salsolan.* pag. 21.  
(x) Panorm. lib. 4. cap. 42.  
(y) Morus in *Utop.* pag. 41. & 42.

10 Certum est enim, & pluribus locis, & exemplis à Majolo (z), Contzen (a), & aliis contestatum, modicas divitias justè quasitas, multis injustè partis præferri debere, & lucra justa ubique tuta esse, etiam in naufragio, injusta verò, neque domi, quod Catsius (b) aptissime in suo Emblemate dixit,

Per scelus immensas, quid opes cumulare juvabit?  
Turpiter è manibus res malè parta fluit.

Et melius Job (c), uno in loco, sic inquires: *Divitias, quas devoravit, evomet: & de ventre ejus extrahet eas Deus.* Et in alio (d): *Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta, præparabit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet.* Junctis aliis, quæ Ego alibi (e) retuli.

11 Indeque Cassiodorus (f), ex Principum in subditos beneficentia, illorum incrementum deduxit: *Beneficia (inquires) sunt, quæ Regna sublimant, & libertatis dominus jugiter potest crescere, si subjectos sibi studeat ampliare. Et rarè utrumque, & sub admiratione perfectum, ut Fiscus cresceret, & privata utilitas nulla damna perferret.*

12 Prout & Trajanus agnovit, dum Eutropio, & Sexto Aurelio (g) tradentibus, Fiscum *lienem*, sive *splenem* appellabat, quòd eo crescente, reliqua membra tabescerent. Hanc enim esse lienis naturam, ut si auctior & tumidior sit, tabem & maciem ceteris partibus humani corporis inferat, Aristoteles (h), & Galenus (i) animadvertunt, & egregio in rem nostram Emblemate, ex eadem similitudine deducto, Altiatus (k), sic inquires.

Humani quod splen est corporis, in Populi re Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artus,  
Hoc Caesar Fiscum dixerat esse suum. Fisco aucto, arguitur civica pauperies.

13 Ego autem dum subditorum opulentiam verum Thesaurum Principum esse, eisdem ostendere cupio, nullum aptius exemplum invenio, quàm quòd præsens Emblema designat, Principibus quotidie ob oculos ponendum, velut quamdam optimi Principatus ideam, ex Constantii Imperatoris historia desumptum, qui inter Bonos censeretur meruisset, nisi Regno suo, alioqui minimè malo, malum fastigium imposuisset, orthodoxorum persecutor existens, & Gregorii Capadocis contra D. Athanasium defensor, & confirmator.

14 Is igitur, qui suos, veri patris amore imperans, non ut subditos, sed ut filios in omnibus habuit, Eusebio (l) latè in ejus vita narrante, cum Diocletianus illi per Legatos suos paupertatem exprobraret, eique objiceret, quod cum subditis parceret, nihil in thesauris reconditum haberet, eosdem Legatos apud se commorari jussit, locupletioribusque suæ ditionis civibus convocatis, ipsis inopiae suæ causam exposuit, quod maluerit benevolentia benignitate sua collectam, & firmatam, quàm ipsorum thesauros, imperio severiore extortos, possidere. Nunc verò illorum sibi opus esse studio, gratia, opibus, & fide. Quibus exceptis, illi, sine cunctatione, lætis animis, hilarique vultu, ærarium ejus auro, & argento compleverunt, & amore, erga Principem clementissimum mirifico, magnoque inter se ardore concertaverunt. Constantius itaque, cum Legatis opes suas inspicendas ostendisset, Diocletiano renuntians quod viderant, jussit, & qua ratione tantus thesaurus, tam subito collectus esset. Subindicans, Principis ærarium tutissimum esse, & firmissimum, subditorum animos benevolos, & Regi numquam defuturos eorum thesauros, modò ei studium, amor, & fides populi sui non desit. Benignus autem Imperator, post discessum Legatorum pecunias allatas civibus suis restituit, obsequio illorum multis verbis collaudato. Magnoque in posterum reliquis Principibus exemplari relicto, illum verè, ut Synesius (m) dixit, Regem vocari posse, qui magis subditorum animis, quàm corporibus imperat, & tunc ditioem esse, juxta aliam Cassiodori (n) sententiam: *Cum tributa dimittit, & acquirit nobiles thesauros fama, neglecta vilitate pecunie.*

15 Quod & ipsum, & si passim multis, multi ex Politicis (o) prosequantur ornari adhuc magis, ultra ab eisdem tradita, & à Nobis suprâ relata, ex illo Mœcenatis consilio ad Augustum Cæsarem poterit, quod his verbis Dion Cassius (p) recensuit: *Statuas tibi neque aureas, neque argenteas, fieri unquam sine; nam non modò magnis sumptibus ex constant, sed insidiis etiam oportune, ac parum diuturne sunt. Benefaciendo autem tibi statuas in ipsius hominum animis, nulli interitù obnoxias, effice.*

16 Et ex quadam Tiberii Novella (q), quæ de tollendis suffragiis judicium agens, licet ex hoc Fiscus non parum utilitatis amitteret, ejus rationem ejusmodi sancientæ legis adducit: *Quod plus à Nobis sit, subditorum opulentia & medela, quàm redditus, qui ex inde inferuntur imperio, &c.* Sic indicans, optimum quemlibet Principem debere commoda subditorum suis commodis antepone, prout Capitolinus (r) Mar-

cum

(z) Majol. *rom.* 1. coll. 19. pag. 430.  
(a) Contzen. lib. 8. *polit.* cap. 6.  
(b) Catsius *Embl.* 49.  
(c) Job. cap. 20.  
(d) Idem cap. 27.  
(e) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 5. num. 10. & seqq.  
(f) Cassiod. lib. 3. *epist.* 11.  
(g) Eutrop. & Aurel. in *vita Constantii, seu Juliani*  
(h) Aristotel. in *Problem.*  
(i) Galen. lib. 4. de *usupar.* cap. 15.  
(k) Altiat. *Embl.* 146. & 8. *parerg.* cap. 6.

(l) Euseb. in *vita Constantii.*  
(m) Synes. in *orat.* de *Regn.*  
(n) Cassiod. lib. 1. *epist.* 16.  
(o) *Admirat.* in *Tacit.* lib. 15. *disc.* 7. Petr. Greg. lib. 3. de *Repub.* cap. 6. num. 31. & 36. Velazq. de *opt. Princip.* pag. 365. & seqq. Marquez lib. 1. cap. 16. pag. 94. Contz. lib. 8. cap. 9. & 13. Saa pag. 522.  
(p) Dion Cass. lib. 52. pag. 489.  
(q) Tiber. *Imper. Novel.* 161. cap. 2.  
(r) Jul. *Capitol.* in *vita Anton.*

cum Antoninum Imperatorem fecisse recenset, scribens, eum, In causis compendii fisco nunquam fuisse.

7 Quod & spectat nobile illud Modestini (s) responsum a Doctoribus variis interpretationibus illustatum: Non puto delinquere eum, qui in dubiis questionibus contra fiscum facile responderit. Et lausilla Plinii (t) de suo Trajano: Que precipue tua gloria est, sepe vincitur Fiscus, cujus nunquam mala caus est, nisi sub bono Principe. Quem imitans Cassiodorus (u), ita sub nomine Theodorici Regis ad Maellum fisci sui advocatum scripsit: Non quoties superes, sed quemadmodum vincas, inquiremus. Illa enim vera lucra judicamus, que integritate suffragante percipimus. Equitatem nobis placiturus intende. Non queras de potestate nostra, sed de jure victorias, quando laudabilis a parte Fisci perditur, cum justitia in habetur. Nam si dominus vincat, oppressionis invidia est, equitas vero creditur, si supplicem superpe contingat. Non ergo parvo periculo causas dicimus; quando tunc fama nostra proficit, cum se commodas, injusta subducit.

8 Neque est omittendus Salvianus (x), qui antiquam sub pauperibus Magistratibus felicitatem Reipublice recolens, aperto ore insaniam appellat, putare, illis qui ei presunt supra modum auctis, privorum statum non intercidere. Ejus verba hęc sunt: Itaque tunc illi pauperes Magistratus opulentam Reipublicam habebant: nunc autem divitis potestas pauperem facit esse Reipublicam. Et que rogo insanies, aut que cecitas, ut egestosa, aut mendicante Republica, divitiis posse credant stare privatas.

9 Divinus quoque Plato (y) absque temperantia & Justitia portus, navalia, moenia, tributaque & vectigalia Principum, nugas appellat. Et qui eis verē, ac benē consultum volunt, optimum vectigal, certaque Thesauros in ipsorum parsimonia constituunt (z), ut preclare Cicero (a) scriptum reliquit, cujus sententia jam a Cognato (b) inter Adagia refertur. Similemque habet illam Dionis Cassii (c) Mæcenaten ita Augustum monuisse, dicentis: Divitiæ magna, non tam multa decipiendo, quam non multos sumptus fiendo, colliguntur; & Senecæ (d), qui sine hac virtute nullas opes sufficere docet, ea autem media, omnis satis patere, & posse ipsam paupertatem, in divitiis se, advocata frugalitate, convertere. Statim & prudentissimè addens: Assuescamus a nobis removere pompam, & usu rerum ornamenta metiri. Cibifamem domet, potio sitim: libido, quæ necesse est fluat. Discamus membris nostris inimiti, cultum victumque non ad nova exempla componere, sed ut Majorum suadent mores: discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aspicere, frugalitatem colere, nam si nos pudebit, desideriiis naturalibus parvo parata remedia adhibere; spes effrenatus, & animum in fura eminentem, velut sub vinculis habere, id agere, ut divitiis a nobis potius, quam a fortuna petamus.

2 Et ultra alia, quæ Ego in rem eandem alibi (e) adduxi, digna sunt ut silentio non involvantur verb, quæ de Alexandro Severo Imp. ejus vita Lampridius (f) commemorat: Malus pupillus est Imperator, qui ex visceribus provinciarum homines Reip. inutiles aleret. Et extat apud Marquardum Freherum (g), & Christophorum Bessoldum (h) cujusdam veteris Philosophi Anonymi ad Theodosium Augustum ejusque filios monitio, qua expeditissimam augendi census rationem, in detrahendis sumptibus, & inhiendis largitionibus consistere docet: Nam si largitio immoderata servanda profuderit, opem defectibilitasullo vetustatis more poterit jam necessitatibus subvenire, & afflicta paupertas, in varios scelerum conatuaccens, nullam reverentiam Juris, aut Pietatis, affectum preeculis habens, vindictam suam malis artibus commendabit. Quæ verba transtulisse in sermonem Hispanum videtur Rex noster Alphonsus X. in quam ex suis legibus (i) inquires: El Principe que es derranador, viene conunmente a ser robador, i usurpador violento de las haciendas ajenas, derramandolas tal vez en mercedes desmesuradas, i por ventura no por virtud, sino por oficion, o viciosos servicios merecidas.

2 Idemque propemodum noster Mariana (k), Bobadilla (l), Navarretus (m), Bravus (n), Barclajus (o), Saavedra (p), & alii considerant, Principes, qui neque modum, neque finem expensarum habent doliis perforatis equiparantes, quæ nihil retinent, licet in ea multum liquoris infundas. Ut in Caliguli contigit, qui paucis sui Imperii annis septuaginta septem Milliones in rebus superfluis absumpsit, & in Nerone, qui quinquaginta quinque in parasitos, lenones, & delatores distribuit, & in Julio Casare, e quo Cicero (q), & latius Seneca (r) referunt, in sola una cena plus pecuniarum prodigaliter expensisse, quam totum Romanum Imperium multis annis ex tributis pendere posset. Ut interim Helio gabam, & alios præteream, de quibus jam supra mentionem me fecisse recorder (s), & infandam illam

(l) L. non puto, D. de jure fisci, Covarr.  
(t) Plin. in Panegy. ad Trajan.  
(u) Cassiod. lib. 1. epist. 22.  
(x) Salvian. de gubern. Dei, lib. 1. post princip.  
(y) Plato in Gorgia.  
(z) Lips. in Polit. lib. 4. cap. 11. Contz. lib. 1. cap. 9.  
(a) Cicero. lib. 5. cap. 5. num. 10. Saaved. ex pag. 534.  
(b) Bobad. lib. 5. cap. 5. num. 10. Saaved. ex pag. 534.  
(c) Cicero. lib. 4. de Repub. & in Parad.  
(d) Adag. Erasmi. pag. 269.  
(e) Dion Cass. lib. 52.  
(f) Senec. de tranquill. vit. cap. 9.  
(g) Ego 1. tom. lib. 2. cap. 23. num. 144. & 2. tom. cap. 15. num. 56. & seqq. & cap. 16. ex num. 72.

(f) Lamprid. in Alex. Sever.  
(g) Frecher. de re numar. lib. 1. ad fin.  
(h) Bessold. de arario, cap. 2. num. 1.  
(i) L. 18. tit. 5. par. 2.  
(k) Marian. de Reg. inst. lib. 3. cap. 7.  
(l) Bobad. d. cap. 5. num. 10.  
(m) Navarr. fol. 160.  
(n) Saaved. pag. 534.  
(o) Bravo de Reg. & Regen. rat. lib. 2.  
(p) Barclaj. in Argen. lib. 4. vers. Hec gaza.  
(q) Cicero. lib. 4. de Repub.  
(r) Senec. de consol. ad Helo. cap. 9. in fine.  
(s) Supr. Embl. 35.

iam Caracallæ vocem, qui, ut Dion Nizeus, & Xiphilinus (t) in ejus vita commemorant, à Julia matre graviter objurgatus, quod in gentem illam pecuniam, quam per fas, & nefas à subditis exegerat, profunderet, gladium evaginatum ostendens: Bono (inquit) animo esto mater; Nobis, quamdiu hunc habebimus, nulla unquam deerit pecunia.

22 Semper quippe Principem prodigum sequitur egestas, egestatemque extrema tyrannis, cui est adnexa rapacitas, & injutorum tributorum excogitatio, ut sic per scelera suppleant, quod ambitione & largitionibus exhauerunt, ut benè, post Tacitum, Richterus (u), Guiciardius (x), & alii (y) considerant, & ille idem pestis mundi Caligula demonstravit, cui persuasum erat, aut frugi hominem, aut Casarem esse oportere, & tandem exhaustus, atque egens, ad rapinas animum convertit, vario, exquisitissimoque calumniarum, & auctonum, vectigaliumque genere, ut Suetonius (z), & Rhodiginus (a) tradunt, excogitatio.

23 Et similiter Nero, qui, eodem Suetonio (b) teste, divitiarum, & pecuniæ fructum, non alium reputabat, quàm profusione: sordidos, & deparcos esse, quibus ratio expensarum constaret, prælaudatos, verèque magnificos, qui abuterentur, & perderent, & ubi nec largiendi, nec absumendi modum tenuit, primum quidem thesauros antiquissimæ gazæ, cujus sibi spem, sed vanam, fecerat eques Romanus, investigavit; post, stipendia militum, & commoda veteranorum protrahi, ac differi necesse fuit, mox calumniis rapinisque animum adtendit: tandem nulli officium delegavit, ut non adiceret: Scis quid mihi opus sit, & hoc agamus, ne quis quicquam habeat.

24 Huc Vitellii, Domitiani, Commodi, Bassiani, Helio gabali, aliorumque Romanorum Principum exempla conjicere possem, & ex Græcis, Monomachi, Michaëlis, aliaque recentiorum Principum, quæ alii Auctores (c) adducunt. Sed hæc tetigisse sufficiat, ut assertioni Emblematis nostri sua constet auctoritas, & Boni, ac Christiani Principes tandem intelligant, non in decore, ac pompa, & profusionibus Imperium esse, ut olim dixit Alexander Severus apud Lampridium (d), sed in eo potius, ut his suas referant curas, ut supervacua sumptibus detractis, modus vectigalibus sit, & privatae publicæque expensæ Regis censibus admetiantur, ut in qualibet œconomia observari debere Aristoteles (e) consult, & in Regia, gravibus verbis Mariana (f) noster admonuit. Ne dum superfluis student, in necessariis deficiant, & Respublica majoribus malis implicetur, quæ nimia delicia, & immoderatus luxus progenerant, ut jam satis in superioribus (g) docuit.

25 Et hoc tunc quidem majori nota dignum videri debere, cum Regna, vel Imperia eò redacta sunt, ut ejusmodi superfluis sumptus pati non possint, æquè prudenter, ac dolenter insinuavit Salvianus (h), ita de sui seculi calamitatibus questus: Calamitas enim fisci, & mendicitas jam Romani ararii non sinit, ut ubique in res nugatorias perditè profandantur expensæ. Pereant adhuc quamlibet multa, & quasi in cenon projiciantur; sed tamen perire jam tanta non poterunt, quia non sunt tanta que pereant. Et res probat, quanta prodigere vellemus, si opulenti essemus, & splendidi, cum prodigamus tanta mendici.

26 Eaque propter communis est Theologorum post D. Thomam (i) traditio, qui peccare Principes docent, dum pecunias, præsertim ex tributis congestas, & in publicos alios belli togavè usus necessarias, in alios voluptarios absumunt; aut in operum ex ædificatione, quæ potius aliquam vanitatis habent ostentationem, quam Reipublicæ aliquam adferant utilitatem, aut commoditatem. Quæ omnia prudenter sensisse videtur Rex Neapolitanus Alphonsus, qui, Panormitano (k) testante, dicere solitus erat: Regibus, qui pro reditu sumptus metiuntur, omnia cedere bona, amari a civibus, non metui. Cres ipsos a suspicione, novorum munera levatos, agere alacres, suaque bona ostentare, ac denique Principum vitam expetere votis supplicisque. Et in idem tendit illud Horatii (l):

Si rectè fruerts, non est ut copia major  
Ab Jove donari possit tibi.

Quod sic vulgari apud Nos proverbio transferri videtur,  
A despensa concertada,  
No puede faltarle nada.

(t) Dion & Xiphil. in Carac.  
(u) Richt. in acon. axiom. 78. 83. 122. & seqq.  
(x) Guiciard. lib. 12. histor.  
(y) Castell. de offic. Reg. lib. 3. cap. 10. Ascaff. de arario, pag. 195. Tacit. 2. annal. ibi: Ac velut perfrangere ararium; quod si ambitione exhauerimus, per scelera supplendum erit.  
(z) Sueton. in Calig. cap. 37. & seqq.  
(a) Rhodig. lib. 2. cap. 24.  
(b) Sueton. in Neron. cap. 30.  
(c) Bobad. d. cap. 5. num. 10. Ascaff. pag. 195. & seqq.

Vvv  
EM  
Theat. vit. human. verb. Prodigalitas.  
(d) Lamprid. in vita Alex. Sever.  
(e) Aristot. lib. 3. acon. d. princip.  
(f) Marian. d. lib. 2. cap. 7. Bessold. de arar. cap. 2.  
(g) Supr. Embl. 35. & seqq.  
(h) Salvian. lib. 6. de provid. Dei.  
(i) D. Thom. de Reg. Princip. lib. 1. cap. 7. & 1. 2. quest. 105. art. 3. ad 2. & plures alii apud Me. d. cap. 15. numer. 52. Ascaff. qui alios citat, de arar. ordin. 478. & seqq.  
(k) Panorm. de d. Alphons. lib. 3. cap. 16.  
(l) Horat. lib. 1. epist. 12.